



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-641808-p0001-5

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-641808-p0002-1

DFG

QUESTIONES  
DUBIAE.

234.

25

EX UNIVERSA FEV.  
DORUM MATERIA, HINC  
INDE DEPROMPTAE,  
atque decisæ.

1612, 2.

QVAS

Divinâ Favente Clementiâ

PUBLICI EXERCITIJ GRATIA,  
DISCUTIENDAS, SUB PRAESIDIO CLA-  
RISSIMI, ATQUE CONSULTISSIMI VIRI DO-  
mini Joannis Michaëlis Beutheri, J. U. D. Professoris pan-  
deistarum apud Argentoratenses Celeberrimi, & pro tem-  
pore Decani Academiæ Spectatissimi, præceptoris  
sui omni observantiâ colendissimi.

Proponit

JOANNES KNAFELIUS CRAIN-  
burgensis Carniolanus, Jurium Studiosus.

MENSE OCTOBRIS.

¶ (:) ¶

¶

ARGENTINAE,  
*Typis exscrispsit Joannes Carolus.*

Anno M. DC. XII.



tes

ILLUSTRIBUS AC GENEROSIS  
DOMINIS, DN. STEPHANO GENEROSIS-  
SIMAE ATQUE ANTIQUISSIMAE URSINO-  
RUM FAMILIÆ COMITI DE BLAGAI, &c. ET DN.

JOANNI JOSEPHO, DN. CAROLO. DN. INNOCEN-  
TIO, Lib. Baronibus in Egg & Hungersbach. &c.  
fratribus germanis.

DOMINIS MEIS CLEMENTIBVS. S.P.D.

I qua Illustres ac Generosi Domini, Dn. mei Clementes, toto lute civili materia, que non solum laude atq; commendatione digna videatur, sed etiam summe utili & frequens sit, minime postremam esse Feudorum materiam, ipsa experientia rerum magistratissima est. Cuivis rei praelata utilitate accensus, aliquot ex universa materia Feudali questiones dubias concessi & publici exercitij gratia sub praesidio Clarissimi atq; Consultiss. Viri Dn. Ioannis Michaelis Beutheri I.V. D. examinandas proposui easq; V: V. V:  
Illustr: Dominat: Dn. meis clementibus consecrare ac offere volui. Ansam mibi imprimu dedic.  
Illustr: ac Gener: Dn. Comes, praelata Illustr: ac Gener: Dn. Dn. STEPHANI UR-  
SINI Patrius Vest: Gen: piè placideq; defunctus erga universam Provinciam Carniolanam merita,  
facinora erga communem Christiani nominis pestem heroicæ, cui animosè fortiterq; sapientiæ secessit;  
viusdem sapè macrtones resecit: vinculis manus prohibuit: à vastatione agros defendit: à ra-  
pinis bona, ab incendendis tecta, ab invasione patriam tutatus fuit: Tandem Anno 1598. euro pau-  
su Caropolitanu prope Caropolin pugnans, mortem gloriosam post innumera illata lethalia vulnera  
oppeteret, quām tyranno immani secessit dedere, aut turpi fibi fuga consulere maluit: ut & tot in me cal-  
latorum à Vestr. Gener: Domina Mater, Dn. meis clementi beneficiorum humili recordatio: Nec now  
V. Ill. ac Gener: Dominat: Dn. Parentis Nicolai Lib. Baronis in Egg & Hungersbach, &c.  
Domini mei Clementi, susceptoris sacri Lavaci mei Colendissimi; in Patrem meum p. m. singularis  
clementia, quā illum prosecutus est. Quapropter nō tristum illud proverbium, ingratum si dixerū omnia  
vitia dixerit, radices in me ageret, sapientiæ optavi dari mihi occasionem, quā eadem me grato animo  
agnoscere, venerari, & ad omnia humilitatu, observantia, obedientiae officia, Ill: V. familia obliga-  
tum esse, testatum redderem. Quod facio alacriani animo propter singularem prestanti atq; Nobilitati  
Viri Dn. Ioannis Lebkücheri animi dexteritatem, studiorum & morum V: V: Dominat. Inspi-  
ctoris diligentissimi ac cunctorum procuratoris fideliissimi, amici, fautoris, atq; patroni mei semper hono-  
randi. Itaq; hos levidense Tyrocinium feudale Illistur: & Gener: Domini Dn. mei Clementes hilarib  
ac Clementi vestra benevolentia complesti, obnixe rogans, hanc de signemini. Valate. Protectioni Divi-  
nae commendant, Argentina ex Musao meo XIII. Calendarum Novemb. Anno recuperata salutisq  
M. DC. XII.

Illust: VVVV. Generos:  
Subjectissimus.

Joann: Knafeius.

735.

## Q U E S T I O

I.

**Q**via de feudis per quæstiones variæ ac dubias ali-  
quid tractare constituimus, videamus primò  
Unde feuda originem suam traxerint? Et nos  
rejectis opinionibus aliorum; rectâ à Longobardis  
illa deducimus, securi pere aquæ rectè notat Aluarot. in prooem.  
Feud. n. 42. Isern. Afflict. ibid. Laudens. c. 7. n. 24. Clar: in S. feudum, quæst.  
I. Hottom: disp. Feud. c. 1. & 2. Duar. in Comment. Feud. c. 3. n. 4. aliijq; ex  
recentioribus complures, Obrecht. disput. Feud. I. cap. 2.

2. Consuetudines feudales à privato congestas atque com-  
positas esse dubitationis non est: Quæritur autem, Utrum  
solum à Gerhardo Nigro, An verò ab Oberto de Orto  
conscriptæ sint? Nos quin negativam amplectamur non ab-  
horremus: & dicimus progressu temporis alia quoque ab alijs  
addita fuisse. Arguit. tit. 6. ubi etiam Philiberti cuiusdam mentio fit. 25.  
28. 30. 32. 34. 36. & t. t. 51. lib. 2. Feud. Item t. 19. 21. cum seqq. lib. 1. Feud.  
verbo Sancimus, quod proprium est Imperatorum. Et Odofred. in Auth. cassa  
C. de SS. Eccless.

3. Utrum jus Feudale etiam summos Principes liget?  
A. per c. unic. de nat: feud. 1. F. 7. & c. unico. 2. F. 100. Si quem contra-  
ctum injierunt feudalem, c. 1. extra de probat. Bald. in d. c. unico, de  
nat. feud: Jacobin. intructatu feud. verbo, princeps pedemontium, n. 42. Alio  
quin princeps sicuti legibus civilibus de plenitudine potesta-  
tis solitus est: ita etiam jure feudali non videtur obstrictus: in  
dubio tamen præsumitur jure communi, adeoque & hoc jure  
uti velle, per S. fin. Instit. quib. mod. testam. Infirm. & l. 4. C. de LL. fac.  
sext. in tit. I. F. 1.

4. An feudum à fide derivetur? A. c. un. in f. per quos fieri:

1 2: Invest.

**CCV**  
Invest. 2. F. 3. not. Duar. d. c. 2. n. 3. Hostiens. in sum. tit. de feud. S. unde dicitur. Schneid. in Epitom. feud. p. 2. n. 20.

5. An feudum verè Ligium præter Imperatorem alius princeps recognoscens adhuc superiorem concedere possit? N. per cap. satis bene. 2. F. 52. repetitum in t. 93. & t. 99. eodem lib. 2. not. Bald. in 7. divis. Rebuff. in 10. divis. Duar. c. 4. n. 12. & seqq.

6. Hanc excipit alia quæstio, Utrum quis duorum aut plurium vasallus absolutè ligius esse possit? N. per d. c. sat. bene. d. t. 52. item d. t. 99. gl. singul: in cap. pastoralis, de Rejud. Bald. d. divis 7. Iacobin. in verb. in feudum, n. 19. Et ne quidem consuetudine id effici posse quin affirmemus movet nos sententia Dn. Obreck. disp. feud. 1. c. 5. th. 210. & seqq. Vult. I. F. 8. n. 21.

7. Utrum feuda cameræ & cavenæ in heredes transeant & perpetua sint; an verò morte dantis vel accipientis extinguantur? ut Affirmantibus ad stipulemur, maximè si id patet dictum vel consuetudine longaque possessione introductum sit, ut pulchrè notat Rebuff. in divis. II. fac. text. bonus, in cap. si vero 2. F. 2. Juris nos movet ratio: Nisi merè gratuita sint cameræ vel cavenæ feuda, c. unico, in f. quis dicat. dux. vel march. 2. F. 10. aut pro mercede temporalis officij data, c. unic. de feud. guard. 1. F. 2. & 2. F. 8. & 64. Tum enim similima sunt Feudis guardiæ & gaſtaldiæ, quæ etiam extra omne dubium personalissima sunt c. 1. de feud. guard. lib. 1. F. 2. ubi comm. Feudistæ.

8. Utrum feuda Ecclesiastica in foeminas sint transitoria, Juxta tritum, Der frumme Stab schleift niemande aus? certè nisi id specialiter dictum sit, vel consuetudo ferat, textus & rationes nos ab affirmantibus avocant. c. 1. S. hoc autem notandum, de his qui feud. dare poss. 1. F. 1. & c. 1. S. filia. de success. feud. 1. F. 8.

9. Si quis quibusdam tantum, aut nullis agnatis consentientibus, Domino vetus feudum refutaverit, deinde is qui refutavit, de eodem feudo rursus investiatur, Quæritur Utrum tale feudum novum sit? Respectu investiti & eorum qui cessioni consenserunt novum est: respectu verò reliquorum agnitorum feudi antiqui naturam retinet, c. unic. cum gloss.

gloss. ult. de eo qui finem fec. agn. 2. F. 49. Schneid. p. 2. c. 3. n. 59. Rosenk. 230.  
c. 9. q. 52. n. 3. & 4. & q. 67. n. 7.

10. An paternum feudum dici illud possit, quod a qui-  
buscunq; parentibus seu majoribus nostris acquisitum est?  
A c. 1. vers. paternum, 2. F. 50.

11. Si feudum novum concedatur jure feudi antiqui,  
Nach Art vnd Eigenschaft eines rechten alten Stammlehen Guts/  
An hoc feudum novum sit? A. per d. tit. 49. lib. 2. F. & cap. unic.  
tit. 18. d. lib. 2. F.

12. An feudo nobili naturâ vis nobilitandi insit?  
N. Sed ex accidenti, tanquam medio cui hanc vim nobilitandi  
tribuit Princeps, seu consuetudo ob longissimam nimirum  
eiusmodi feudi Nobilis possessionem. c. 1. quis dic. dux. vel march.  
2. F. 10. & in pr. c. de pace tenend. inter subdit. 2. F. 53. Bald. Raven. ibid.  
Zas. part. 2. in epitom. feud. n. 5. Tyraq. in tractat. Nobilit. c. 7. n. 14.

13. Utrum feudum pignoratum quovis tempore no  
obstante aliqua præscriptione, redimi possit? A. maximè  
si redemptio hæc termino nullo certo præclusa sit: fac. c. unic. 5.  
præterea. tit. 40. lib. 2. F.

14. Num feuda Advocatiæ quæ superiorē recognoscen-  
tes protectoribus & defensoribus suis, iher. Schuz vñ Schirme  
oder Bogthey Herrn/ pro tulela dare solent, suâ naturâ & re-  
gulariter annua sint? Annalia & personalissima esse puta-  
mus, per c. unic. tit. 2. F. 1. & ibi Comm. Feudista. Quin & pasto aut  
consuetudine loci hæc natura mutari possit, non negamus, per  
ea quæ notat Rebuff. d. divis. 11. & c. 1. s. Quicunq; advocatiam 2. F. 27.  
& c. 2. de rebus Eccles. non alien: in 6. c. 12. extra de penis.

15. Feudum concedere possunt omnes quibus permisum  
est: Quæritur, An foemina novi feudi investituram facere  
possit? Et olim quidem non potuerunt id foeminæ: demum  
tamen benignius receptum fuit: c. 1. s. foeminæ, 2. F. 3. & c. unic. de  
invest. vet. & novi benefic. 2. F. 91. fac. pr. tit. 1. lib. 1. F. ibi. Abbatissa.

16. Feuda dare possunt tam nobiles, quam ignobiles sive  
plebei: Quæstio est de Rustico? Quem itidem admittimus,

per c. i. s. qui verò à principe, tit. 10. F. 2. Iacob. d. loc. n. 24. Schurff. cons. 63.  
Cent. I. Hartm. Hartm. Tit. de feud. obs. 6. Et cum quilibet sit rerum  
suarum moderator & arbiter, l. in remandati. C. mandati. Nec ta-  
men indiscretè adeò hoc quis acceptet: Consuetudini cuiusq;  
loci potius id relinquimus.

17. Seculares feudum dare posse extra dubitationis aleam  
est: movetur quæstio, De clericis, An illi feudum dare pos-  
sint? A. Modò antiquitùs eorum consuetudo fuerit feudum  
dare, c. i. de his qui feud. dare poss. 1. F. 1. c. unic. de natura Feudi. I. F. 8.  
Quin autem sua propria bona etiam sine ulla aliis solennitati-  
tibus infeudare possint clerici nihil vetat, t.t. 35. lib. 2. F. & ibi,  
Comm. omnes, not. Curt. p. 2. de feud. cleric. quæst. 22.

18. Hinc Quæritur. Quot actus ad ejusmodi consuetu-  
dinem introducendam requirantur? Ingentes sunt opinio-  
num fluctus, qui ad nubes usque exæstuant. Nos cum in jure  
certò id definitum non sit, arbitrio judicis illud committimus:  
ad minimum tamen binam infeudationem desideramus, &  
tempus 40. annorum, per. not. Beluu. Isern. Aluarot. n. 12. Afflict. nu-  
17. d. t. I. lib. 1. F. Ias. cons. 115. vol. 2. Zaf. part. 5 n. 52. fac. c. ad aures & c.  
de quarta, extr. de prescript. vide Rosenth. in Synops. Feud. c. 4. concl. 45. &  
seqq.

19. Si Episcopus cuiquam rem suæ diœceseos in feu-  
dum concederit, & Papa postmodum alteri eandem con-  
cedat, ultra concessio, priornè? an posterior firmior sub-  
sistat? De jure prior. Nam de facto non loquimur, arg. c. I. de sponsal.

20. De Monacho quoque dubitatur, An & ille feu-  
dum dare possit? Cum per se nulla bona habeat, utiq; feuda non magis  
quam servus dat, per ea quæ notat Everhard. in Top. loeo à servo ad Monachū.

21. Num procurator cum libera, qui aliâs investituram  
nomine domini facere valet, c. i. s. sed utrum ipse vel alius 3. F. 2.  
Idem etiam de novo feudum dare sine speciali mandato  
possit? N. notat Schneid. p. 3. n. 87. & seq. Zaf. d. parte 5 n. 41. per. I.  
63. ff. de procurat. l. 11. S. fin. ff. de pignorat. act.

22. An insans, pupillus, minor, filius familiâs, prodi-  
gus,

**gus, furiosus, feuda dare possint? Nos à partibus negantur  
stabimus: præsertim quâ novum feudum respicimus, d. c.  
1. S. novi verò, tit. 3. lib. 2. F. Schn. p. 3. n. 83. Zaf. d. p. 5. n. 39. Hann. lib. 1.  
c. 5. Ardiz. c. 12. Secùs nonnihil si de antiqua renovatione agitur,  
d. t. 3. S. novi verò, ubi Isern.**

237

**23. Quippè pupillus & minor etiam sine autoritate  
atque consensu Tutoris vel curatoris sui antiquum feu-  
dum licet renovare potest. per. d. c. 1. t. 3. lib. 2. F. modo uterque  
intellectum habeat, Zaf. d. p. 5. n. 37. Sylvan. de Recogn. feud. quæst. 56. Mont.  
lib. 2. F. c. 2.**

**24. An surdus & mutus simul, feudum dare possit?  
N. Si à natura simul utrumq; vitium hauserit: per identitatem & reciproca-  
tionem eorum qua tenet Zaf. part. 8. n. 68.**

**25. Majorenis quin possit feudum acquirere non dubita-  
tur: De Minore altercatur? Nos asserimus, per ea quæ no-  
nat Isern. & Aluar. d. t. 3. S. personam, lib. 2. F. Zaf. d. p. 5. n. 66. Schn.  
d. p. 3. n. 98. Blanc. lib. 1. c. 5. Hannet. lib. 1. c. 6.**

**26. An feuda accipere possint. 1. Hæretici, verè tales, non  
qui pro hæreticis indicta causâ calumniantur. 2. Excommunicati.  
3. proscripti banno Imperij: 4. Rei læsæ Majest. 5. In-  
fames? N. per Sylvan. de feud. recogn. quæst. 99. 100. 103. & 104. Blanc.  
lib. 1. F. c. 5. n. 11. Ceyl. lib. 2. de pace pub. c. 14. l. Manichæos, juncta Auct.  
Credentes C. de hæretic.**

**27. Feudum consistere in rebus soli, textus est in c. unic. inf.  
2. F. 1. Sed quæstio movetur Annè in pecunia quoque ipsa  
numerata? N. de jure Comm. feud. Et quatenus pecunia res  
absolutè mobilis computatur, per d. S. 2. tit. 1. lib. 2. F. Vbi Baro  
Schenck. VVesemb. c. 7. Schurff. Conf. 11. & 12. cent. 1. Ex consuetudine  
tamè in nonnullis Germaniæ provincijs receptâ, per imitatio-  
nem Juris Comm. fieri id posse, refert Cothman. conf. 48. n. 17.  
& mult. seqq.**

**28. An res Ecclesiasticae in feudum nunquam datæ, à  
prælato absq; consensu capituli concedi possint? N. c. 1 &  
ibid. gloss. bon. in verb. feudum dare, l. F. 1. & c. 1. in. pr. 2. F. 3. c. 5. extra de  
rebus Eccles. non alien.**

29. An

29. An prælatus pro arbitrio possit rem ad Ecclesiæ  
reversam incorporare Ecclesiæ bonis, vel de novo alij in  
feudum concedere? Et cæteris paribus *Affirmativam uti ve-*  
*riorem amplectimur, per Zaf. d. p. 5. n. 49. 50. 51. Schneid. d. p. 3. n. 24. 33.*  
*42. 45. 46. 48.*

30. An Imperator seu supremus princeps Republicas  
quæ sunt Imperij, in feudum dare possit? A. Hac  
tamen adhibita limitatione, ne Imperio in grave detrimentum  
cedat infeudatio, per Zaf. part. 2. n. 2. & p. 5. n. 15. & 17. Iacobin. in ver-  
bo princeps, n. 4. Fulgos. Conf. 143.

31. Fundo in feudum concessio, an & ea, quæ in eo per-  
petui usus causa sunt, ut boues, vaccæ, oves, & reliqua ani-  
malia tam ad laborandum quam stercoandum agrum de-  
stinata, intelligantur concessa? A. arg. l. 17. S. Labeo. ff. de action.  
empti. Rosenth. in Synops. feud. c. 4. concl. 5.

32. An agro vel fundo infeudato, fructus pendentes,  
tanquam inherentes solo, veniant? A. per l. 44. ff. de R. V.  
Sonsb. p. 8. Schneid. p. 2. n. 31. & seqq. Rosenth. in Synops. c. 4. concl. 2. in f.  
Zaf. p. 4. n. 2. & 4.

33. An annuireditus in feudum dari possint? A. arg. c.  
1. in fin. 2. F. 1. l. ult. S. Iubemus C. de SS. Eccl. Schneid. d. p. 2. n. 38. VVesem.  
defeud. c. 5. Geyl. lib. 2. obs. 10. Montan. lib. 2. F. c. 3. Zaf. d. p. 4. n. 8.

34. An servitutes, jura venandi, aucupandi, piscandi,  
cædendi ligna, lapidem, in feudum concedi possint?  
A. Cum Rosenth. in Synops. c. 4. concl. 2. n. 2. Borch. c. 6. n. 17. Geyl. d. lib.  
2. obs. II. VVesemb. d. c. 7. Zaf. d. part. 4. n. 2.

35. An feudum in rebus mobilibus & quæ mobilibus  
ennumerantur, sub cautione, quasi ususfructus constitui  
possit? N. Cum Rosenth. d. c. 4. concl. 9. Hottom. ad S. sciendum, tit. 1.  
lib. 2. F.

36. Investitura seu investiendi actus, die Belehnung/  
An sit contractus? Quæritur. A. per cap. unic. in fine. qui success.  
feud. dare ten: 1. F. 3.

37. Hinc Spinoza movetur Quæstio, Si de feudo ipso jure  
ad

ad dominum reverso, denuò vasallus vel ejus agnati investiantur, nova nè an renovata investitura dicatur? Post.  
Affirm. per l. 4. s. fin. & l. 5. ff. precario.

238

38. Nùm illa divisio, quâ investitura in propriam & abusivam dividitur, sit verissima? A. per cap. un. in pr. quid sit Invest. 2. E. 2. et ibi Communiter Feudista. Ferrar. inform. libell. quo agitur ad revo- cat. feud. ad verb. Investivit. Zas. p. 6. n. 2.

39. An investitura per procuratorem speciale mandatum ad hoc non habentem fieri possit? A. præsertim quoad vetus feudum renovandum, & modò dominus hunc actum ratum habuerit, per cap. Ratihabitio. de R. I. in 6.

40. An feuda Imperialia per procuratorem conferri queant? N. Aurea Bulla Carol. IV. tit. 6. Cujac. 1. F. tit. 21.

41. An Dominus, maximè Laicus, aliquem de feudo nondum aperto investire possit? A. modò id faciat sub conditione, quæ dicitur expectativa, per c. si de feudo def. contr. S. moribus 2. F. 26. & 35. facit. t. 3. & 9. in pr. ubi Comm. feudista, 1. F. Geyl. 2. obs. 155. n. 1. & 2.

42. Si plures expectativam, Ein echens Exspectantz oder anwartung acceperint, uter alteri præferendus? plerumque qui primus possessionem nactus est: per gloss. in S. si facta, & ibidem Aluaros. tit. 26. lib. 2. F. Myns: cent. 4. obs. 61. Rosenth: in synops. feud. c. 6. conclus. 9. & 10. Clar. d. S. feudum, quæst. 26. n. 2. text. not. in c. 1. ut lice pen- dent. cum gloss: ibid.

43. Si investitus prædicto modo vasallum possessorem morte antevertat: An spes hæc ad heredes transitoria sit? An verò legati instar morte protinus evanescat? prius Affirmamus, per c. 1. qui success. teneantur, 1. F. 9. l. 13. & l. fin. C. de contrahend. stipulas. Clar. d. S. feudum, quæst. 26. Et præsertim si etiam heredes simul hanc expectativam acceperint, vel concessio à Principe facta sit, quæ semper habetur pro Reali non personali, per Specul. in tit. de Instrum. edit. S. Nunc autem videndum, vers. sic dubium est. Tyraq: de Nobilitat. c. 39. n. 53.

44. An in nova investitura etiam extranci præter parcs  
B testes

- 85
- testes esse possint? N. c. unic. 2. F. 2. & 1. 32. §8.
45. Annè in feudo Ecclesiastico pares & extranei testes esse possint? A. per. c. unic. vers. hac omnia. 1. F. 26.
46. An femina in feudo testis esse possit? N. per ca. unic. circa fin. qui test. sunt necess. 2. F. 32.
47. An ad scripturam investiturę conficiendam de necessitate pares requirantur? A. d. c. unic. in pr. qui test. sunt nec. 2. F. 32. in pr. tit. 2. lib. 2. F. vide Rosenth. in Synops. c. 6. concl. 112.
48. Si duo de feudo investiti fuerint, quis alteri preſerendus, ille nè qui primò investituram acceperit? an verò ille cui feudum traditum est? Posterior. per l. 9. §. si duobus ff. de publ. in Rem act: c. viii, 16. quæſt. 2. Myns. cent. 4. obs. 6. Hanner: lib. 1. F. c. 7. Schurff. cons. 53. n. 7. ceut. 1.
49. An tale pactum in feudo subsistere possit, ne fidelitas preſetetur? Si turpitudinem in se habeat, negamus. per Bald. in c. 1. & ibi Laudens. n. 8. t. 2. lib. 1. F. Ias. in pralud. feud. n. 29. Iacobin. in verb. qui quidem Investiti. n. 71.
50. An sic pacisci liceat: Ne ullum servitium preſetur, velut annum loco servitorum detur? A. per. c. 1. §. præterea, 2. F. 2. not. Iacob ad verb. qui quidem Investiti. n. 23. & 72.
51. An tale pactum valeat, ut liberis primi matrimonij duntaxat, vel contra his rejectis secundi, succeedere permittatur? A. c. unico, de filijs nat. ex matrim. ad morganat. t. 29. lib. 2. F. & §. filij, lib. 2. F. 26.
52. An pactum legis Commissorię in feudo locum habeat? N. c. unic. & ibi Bald. Laudens: n. 4. Aluaret. n. 2. de feudo dato in vicem l. Commis. tit. 27. lib. 1. F. Blanc. lib. 1. F. c. 3. n. 49.
53. An tale pactum valeat, nè quis feudo ob feloniam cadat? N. arg. l. 7. § 7. ff. de pact. notat Bald. in c. 1. t. 2. lib. 1. F. Rosenth. c. 6. concl. 33.
54. Controversum olim fuit, Utrum investitura preſcedat fidelitatem: an verò hæc illam eliciat? Decisionem exhibent c. un. quid preſed. deb. 2. F. 4. cum seq. & c. un. in fine, De nova fidelis. 2. F. 7. Hottom. disp. feud. c. 23.

55. In

55. Investitura facta, consequens est ut vasallus juret. Quod  
ritur. An etiam in aliena persona, procuratoria sc: fidelitatem  
jurare possit? A. modò speciale mandatum habeat. c:  
un. 9. sed utrum, per quos fiat investit. 2. F. 3. Quod & de omnibus alijs  
Juramentis in animam principalis præstandis receptum est:  
Rosenth. in Synops. c. 6. conclus. 63.

239.

56. Præstandum autem esse juramentum fidelitatis ipsi in-  
vestienti, sive dominus sive procurator sit, in confessio est, d. 9.  
utrum, tit. per quos fiat Invest. 3. lib. 2. F. Quæstio tamen movetur.  
Solinè, an etiam filio ejus, domino vivente & prius Aff. Mozz.  
de subst. feud. n. 13. Quamvis hodiè contrarium, præsertim apud  
Principes introductum videamus.

57. An Dominus facta investiturâ & fidelitate subsecu-  
tâ, omnimodò ad traditionem cogi possit? A. Si modò  
tradendi facultatem habuerit, c. un. 5. si facta, 2. F. 26. & 5. 1. de for-  
ma fidelit. Myns. d. cent. 4. obs. 61. n. 7. & seqq. Clar. d. quæst. 26. Geyl. 2. obs.  
52. n. 14. Blanc. d. lib. I. F. c. 3. n. 50.

58. Si ante traditionem factam feloniam committatur,  
relevabit nè dominum à traditione? In notoria Affirm:  
arg. c. 1. 5. insuper, & ibi gloss. bona ad verb: dominum offenderit. 2. F.  
55. secùs si indaginem requirat. Rosenth. in synops. concl. 14. c. 6.

59. Si vasallus rem aliquam ut feudum per 30. annos  
possederit, & domino servitiū exhibuerit, an præscriptio-  
nis beneficio se tueri possit? A. per c. 1. 5. 4. si quis per 30. annos, &  
ibidem Bald. Borch. c. 7. n. 12. si de feudo def. contr. 2. F. 26. Duar. in tract.  
feud. c. 16. n. 5. Geyl. 2. obs. 68. n. 5.

60. Requiratur nè bona fides ad præscriptionē 30. an:?  
A. Ex æquitate juris Canonici, c. possessor. c. vigilanti, c. fin. extra. de  
præscript. Et receptâ consuetudine, Rosenth. in Synops. feudal. c. 6.  
concl. 142. Myns. cent. 4. obs. 6. Geyl. lib. 2. obs. 18. n. 2. Aliâs de jure ci-  
vili in hujusmodi præscriptione bona fides non exigitur, l. 3.  
cum l. seqq. C de præscript. 30. vel. 40. ann.

61. An in feudo tali conceptione verborum, pro se &  
heredibus quibuscumque succendentibus, concessio, Zum

B 2 Reichen

62

Rechten Erblichen / für Erben vnd Erbnehmen / filiae cum filiis  
æqualiter succedant? A. Quia tale feudum absolutè est hereditarium, tām quād successores quād succedendi qualitatē,  
lib. 2. F. 1. 18. per not. ab Isern. in c. 1. S. hac quoq; n. 6. de success. feud. & in  
c. 2. n. 18. qui success. teneantur. Curt. in tractat. feud. p. 1. quest. 8. n. 119.  
& cons. 1. n. 12. Covarr. Variar. resolut. 2. c. 18. Geyl. lib. 2. obs. 154. n. 9. Iacobin.  
in verb. & quibuscumq; Brun. cons. feud. 9. & 10. Rosenth. in synops.  
feud. 2. conclus. 23.

62. An feudo ita alicui dato, pro se & heredibus suis,  
für sich vnd seine Erben, fœminæ cum masculis succedant?  
Negativam amplectimur, cū Dn. Vult. 1. F. c. 8. n. 25. Fachin. lib. 7. con-  
trovers. juris C. 3. & 4. Rosenth. in synops. c. 2. conclus. 24. Ias. in prælud. di-  
vis. 15. Dec. cons. 183. n. 3.

63. An in feudo franco fœminæ succedant? A. c. 104. lib.  
2. F. Vult. 1. F. c. 9. n. 41.

64. An naturales liberi in feudo succedant? N. per s.  
naturales, ubi Hottom. & Comm. Feudistæ. 2. F. 26. Ardizo. c. 133.

65. An Legitimi per subsequens matrimonium?  
A. per l. Cum quis, C. de natural. lib. & c. tantavis, Extra, qui filij sunt legitim.  
Et quoniam non invenitur correctum nec immutatum jure  
feudali, jus commune servandum, per regulam ab Oberto traditam,  
2. F. 1. Geyl. lib. 2. obs. 141. Myns. cent. 5. obs. 42. Pistor. lib. 2. quest. Iur. part.  
2. quest. 41. Rosenth. in synops. feud. c. 7. conclus. 34.

66. An exheredati? A. Hi enim retinent feudum suc-  
cessione, Et quidem in feudo pactionato indistinctè, sive justè si-  
ve injustè; in hereditario autem si injustè exheredati sint, arg. c.  
1. in pr. 1. F. 8. Rittersh. c. 15. n. 5. Rosenth. c. 7. conclus. 10. n. 8. Ardizo. c. 137.  
S. sed adhuc queritur.

67. Soli fratrum liberi existentes, An in capita vel in  
stirpes succedant? prius A. Ex Constit. Caroli V. generali in  
Comitijs Spirensibus Anno 1529. promulgatâ, & l. 1. S. ult. ff. si  
pars heredit. petat. Clar. quest. 75. n. 2. Myns. Cent. 3. obs. 94. Zaf. 1. Re-  
spons. c. 7. Hottom. in quest. Illustr. quest. 14. Duar. de feud. c. 11. n. 14.

68. An fœmina semel exclusa à successione feudi, filij  
ex eadem nati quoque sint exclusi? A. lib. 1. F. 1. S. hoc autem no-  
tandum,

Tandum, & i. 8. lib. 2. F. 11. vers. proles enim: Zafius part. 8. n. 59. Rosenth.  
in synops. feud. c. 7. Conclus. 109.

240

69. An foemina etiam à successione pignoratitij feudi ar-  
ceantur? A. Rigore juris inspecto, not. Rosenthal c. 2. conclus. 77. n. 3.

70. Si foemina feudum sibi suisque filijs acquisiverit,  
für sich vnd ihre Söhne/ An tali feudo & filiis succedant  
N. Quia filiorum appellatione in materia feudalii non conti-  
nentur filiae, c. 1. in pr. & 5. 2. lib. 1. F. tit. 8. c. 1. tit. 11. lib. 2. F.

71. Si statutum foeminas habilitet, ut primò genitus,  
vel primò genita succedat: An foemina magis propinqua  
excludat masculum remotiorem? Cum Rosenth. c. 7. conclus. 41.  
n. 14. in contrariam ut tutiorem potius videtur descendendum sententiam.

72. An foemina semel à successione feudi per mas-  
culum remota; mortuo masculo admitti possit? A. per c. 1. de eo  
qui sibi vel suis hered: 2. F. 7. & c. 1. S filia verò, tit. 8. lib. 1. F. Myns. cent. 5. obs.  
47. Clar. de S feudum, quest. 80.

73. An foemina semel admissa perpetuò censeatur ad-  
missa, etiamsi masculus postea supervenerit? A. per l. 11. ff.  
de R. I. Fachin. lib. 7. contr. c. 41. Schn. part. 6. c. 2. n. 48. Cardin. Paris.  
conf. 22. n. 24. lib. 7.

74. An pater pro filia feudum in dotem dare possit?  
N. de rigore iuri, c. 1. S donare, 2. F. 9. Ardizo c. 120. Zaf. p. 9. n. 49. Brun: cons.  
feud. 11. 4. n. 86. Myns. cent. 4. obs. 86. Bonistamen hereditarijs nullis  
extantibus tam ab agnatis, quam à domino ex feudo deberi  
dotem ex aequitate receptum est, arg. S mutu, tit. 6. lib. 1. F.

75. Clericus seu monachus factus, in feudo succedere non  
potest: desinit namq: miles seculi, qui miles factus est Chri-  
sti. S. qui Clericus, tit. 26. lib. 2. F. cum gloss. ibidem bona. Zaf. p. 5. n. 71. &  
seqq. Myns. cent. 5. obs. 48. & c. 1. de vasallo milite qui arma. 2. F. 21.  
Quid si paenitentia ductus (anno sc. probationis nondum finito)  
vitam clericalem deseruerit: An admittendus? A. Quia  
maturae paenitentiae semper veniam datur. Curt. p. 1. memb. 2. tertio  
part. princ. n. 24. cum seqq.

76. An surdus, mutus, cæcus, claudus, Itemque qui

B 3 manum

*VII*  
manum debilitatam, aut aliud membrum ad servitia præstanta naturâ habeat inutile, in feudo succedere possit? N. c. 11. §. mutus, 1. F. 6. & c. 1. lib. 2. F. 36. alias si non planè inidoneus est, adfirmamus, per Zas. p. 5. n. 71. & p. 8. n. 68. Hottom. disp. feud. c. 14.

77. Si statuto primò genitus præcisè ad sceptrum vocatur, & naturâ inhabilis sit, An Dominus sive Rex excluso eo aptiorem ex cæteris eligere possit? A. propter subditorum commodum & salutem: modò jam non sit in potestate major talis, ac vitium saltem sit temporarium: tūm enim ei coadjutorem dandum putat Aluarot: p. c. grāndi, de supplendā neglig. Cleric. in 6.

78. An vasallus præcisè in sua propria personâ servitia domino præstare cogatur? N. Nisi certis exceptis casibus, per S. firmiter: cum gloss. ibid. verb. alium prosc. tit. 55. lib. 2. F. Zas. part. 5. n. 71.

79. Si vasallus sit clericus (sc. quo ad novum feudum adquirendum, hoc enim accipere potest à sciente cum clericum esse) perea quæ not. Schn. p. 3. n. 105. & maxime si sint Clerici cum dignitate. Vtrum in propria persona servitia militaria præstet? N. Imò prohibetur pugnare, c. Clerici, 23. q. 8. & Clement. 1. de homicidio. c. vnicō. lib. 2. F. t. 21. & c. vnicō, §. fin: 2. F. 40.

80. Si dominus antiquior & junior, unus vel plures, contra diversos eodem tempore arma moveant, An vasallus omnes juvare debeat? A. Antiquiorem in propria persona, reliquos per substitutum, Specular. tit. de feud. S. quoniam, ver. duodecimo queritur, & vers. seq. Aluarot. in S. contra omnes, tit. hic finitur lex. n. 11. Schneid. in epit. feud. part. 5. n. 17. & 96. Ardiz. c. 65. Iacobin. in verbo, & promiserunt, n. 11. & seqq. Rosenth. in synops. c. 6. conclus. 167.

81. Vasallus dominum in bello adjuvare debet, per c. 1. lib. 1. F. t. 5. 17. 21. & lib. 2. feud. t. 24. §. 2. & t. 28. in pr. sed quarti solet, Utrum suis, an verò domini sumptibus? post: Aff. per cap. 107. lib. 2. F. Et maximè si dominus extra territorium bellum gerat, d. t. 107. idque moribus Germaniae receptum est, Zas. p. 7. n. 44. 45. 46. & 47. Et Matth. Coler. decim 82. n. 3. quod vasalli indistincte domini sumptibus serviant, Aufs des Lehen Herren Gutter/oder jhmliche vnd

vnd gewohnliche Besoldung/oder Unterhaltung / pulchrè Iacobin d.  
verb. n. i. §. 2. & 3.

24

82. An vasallus domino hæretico, (a) bannito, (b)  
excommunicato (c) servire teneatur? N. (a) cap. fin. extra,  
de hæretic: (b) z. F. 28. Communis enim omnium hostis effici-  
tur & civiliter pro mortuo habetur (c) c. excommunicato, & seqq. n.  
¶ 3. Rosenth. in synops. feud. cap. 8. concl. 48. Iacobin. d. loco. n. 30,

83. An nobilis emens bona paganica, Bawren Güter,  
subjecta servitiis, vulgò Frendiensten/ aut aliis contributio-  
nibus obnoxia, ab iis liber & immunis sit? N. arg. l. 10. ff. de  
R. I. Quippè in specie id ab ipso inpetrandum est: aliâs res sem-  
per transit cum suo onere in quemcumque possessorem.

84. An vasallus dominum egentem, non sufficientibus  
bonis feudalibus, de suo patrimonio alere teneatur?  
N. Iacobin. in verbo, qui quidem Investiti, n. 78. Clar. quæst. 23. Rosenth. in  
synops. c. 8. conclus. 52.

85. An vasalli collectam domino præstare teneantur?  
N. Nisi consuetudo, conventio, præscriptio, aut necessitas  
aliud suadeant, cujusmodi sunt collectæ quæ propter bellum  
Turicum imponuntur. Reichs Abschied / de Anno 1544. §. vñnd  
Insonderheit. Rosenth. d. c. 8. conclus. 50. cum seqq. Myns. cent. 5. observat.  
29.

86. An dominus evictionem vasallo, sive ignorans sive  
sciens eum de re aliena investiverit, præstet? A. c. unico. in  
pr. z. F. 9. & c. un. z. F. 25.

87. An dominus vasallo, qui sciens rem alienam acce-  
perit, neque expresse de evictione sibi prospexerit, eam  
præstare teneatur? N. per d. c. unico. in pr. cum gloss. z. F. 8. &  
z. 80.

88. An dominus rem in feudum concedens cum clau-  
sula, salvo jure aliorum, Wir verleihen ihme diß Gut So viel  
wir daran durch Recht zuverleihen haben/ab evictionis periculo  
tutus sit? A. Quia hac conditione fides ejus satis purgata est.

89. An feudi recognitio & renovatio investiture adeo  
necef-



**N**ecessaria sit, ita ut ea omissa, amittatur feudum? A. c. qm  
fuit prima caus. benef. amit. 2. F. 24. & ss. Rosenth. in synops. c. 6.  
concl. 53.

90. Cùm petere hanc investituræ renovationem à domino  
suo vasallus teneatur, perplexa & nodosa quæstio hic movetur,  
Si dominus plures reliquerit liberos pro indiviso feudum  
tenentes, nūmquid à singulis petenda est renovatio? In  
hac difficultate, sententia existimantium, ab uno omnium no-  
mine petendam esse, magis arridet, per c. 1. S. præterea ducatus. 2.  
F. 55. & 1. 77. Idquè etiam quotidiana observat praxis: Rosenth. in  
Synops. c. 6. concl. 62.

91. An mulieres, in casibus quibus sunt feudi capaces,  
ad petendam investituram non minùs quam mares sunt  
obligatae? A. per. c. 1. S. filia, ibi, investitura fuerit facta; 1. F. 3. Rosenth.  
c. 6. concl. 58. & arg. tit. 7. lib. 2. F. & per text: generalem in §. præterea si  
quis, tit. 55. lib. 2. F. Vbi Bald. Aluarot. n. 3. Laudens. n. 4. & alij ex parti-  
cula si quis, sub quâ etiam si qua contineatur, arg. l. 3. §. 1. ff. de negot. gest.  
l. 1. ff. d. v. s.

92. An feudi renovatio formâ & pactis primæ investi-  
turæ per omnia observatis fieri debeat? A. arg. c. 1. §. 3.  
Quid sit invest. 2. F. 2. & per text. in f. c. un. tit. 49. lib. 2. F. Curtius p. 2.  
membr. 2. de feud. Laicor. n. 44. quæst. 7. Brun. Conf. 1. & 29. Iacobin. in  
verb. dicti, vasalli promiserunt, n. 13. Sylvan. quæst. 38. n. 3.

93. An vasallus aliquem subinfeudare possit inscio &  
invito domino? A. 2. F. 9. S. si verò. d. lib. 2. F. 34. S. similiter.  
Hisce interim tribus concurrentibus, 1. ut æquali det, 2. F. 34. S.  
2. II. ut eâdem quâ habuit lege & conditione det. 2. F. 1. 48. 89.  
III. Ut non in præjudicium domini det. 2. F. 55. S. callidus. S. si ve-  
rò, tit. 9. lib. 2. F. & S. beneficium, cum gloss. bona, tit. 26. eod. lib 2. F. nor.  
Schneid. p. 3. n. 84. Ardizo in summa c. 15. Rosenth. in synops. 9. concl. 55.  
& seqq.

94. An vasallus transigere de feudo possit? A. per S. si va-  
sallus, de benefic. 2. F. 26. & tit. 43. dummodò bona fide & proba-  
bili litis timore transigat, & de jure suo, non domini directo,  
but in præjudicium agnatorum, per Iacobin. ad verb. & cum pacto. n.  
7. 81

7. 8. 11. in fin. & seqq. Rosenth. in synops: c. 9. concl. 19. & seq.

95. An locare? A. modò non sit fraudulosa, 2. F. 9. S. donare, Iacobia d. loco n. 13.

242

96. An vasallus de feudo testari possit? N. Et nè pro anima quidem, feud. lib. 1. t. 8. d. 5. donare. Nisi his quatuor concurrentibus. I: Si feudum acceperit pro se & quibuscumq; vel quibus dederit. II. Ex consensu domini: III. Agnatorum in feudo antiquo, IIII. aut ex consuetudine loci disposuerit. Ardz. c. 24. Rosenth. in synops. c. 9. concl. 8. & 30. cum seqq. Tùm enim & alienare poterit tanquam feudum hereditarium. Rosenth. in syn. c. 9. conclus. 50. Rittershus. c. 12. q. 6.

97. Vasallus feudum non potest donare, textus est in c. 1. S. donare, 2. F. 9. Rosenth. d. cap. 9. concl. 8. Nobilis tamen hinc quaestio exurgit, An feudum licetè donatum, liberis postea susceptis, beneficio l. si unquam: 8. C. de revoc. donat. revocari possit? Quod pro equitate Affirm. nè quod liberis ex voluntate domini debetur primariò, extra ordinem largiatur extraneis.

98. An vasallus feudum venditum, pœnitentia ductus, tradere nolens, & se ob pœnam non posse asserens, auctoritate judicis & actione exempto compelli possit ad rei traditionem? N. sed solùm ad interesse, arg. S. si vasallus feudum, 2. F. 26. l. 11. S. 2. ff. d. act. empiti, not. Rosenth. in synops. c. 9. concl. 97.

99. An res pecuniâ ex feudo vendito empta, feudaliter crit? N. arg. l. 6. C. d. R. V. Rosenth. in synops: c. 4. concl. 11.

100. An dominus invito vasallo jus suum directum vel alienando, vel oppignorando in alium transferre possit? N. per S. præterea, 2. F. 55. S. ex eadem, de lege Corradi. Rosenthal. d. c. 9. concl. 52. Premente tamen summâ necessitate, eum hoc facere posse, Cum Dn. Vult. c. 10. n. 71. Affirmamus.

101. An vasalli in feudo successor, obligatus sit ad debita defuncto facta persoluenda? N. Nisi de fructibus eius anni quo mortuus est vasallus: & nisi defunctus filium reliquerit, qui in feudo succedat, adeoq; feudum hereditarium sit. c. un. 2. F. 45. gloss. bona ibid. in verbo aut Virumq; fac. l. cum à matre, C. d.

C R. V.

*R. V. l. z. ff. d. V. O. l. Seia, ff. de evict. curt. sun. in tract. feud. in l. p. quæst.  
8. Zaf. p. 8. n. 15.*

**102** An dominus feudum illicite a vasallo alienatum, quovis tempore, nullâ obstante 30. vel 40. an: præscriptio-  
ne, revocare possit? A. per c. 1. t. 40. & cap. Imperiale 2. F. 55. 83.  
& 87. ut potè Constitutione novissimâ. *Quamvis Rosenth. in synops.*  
*c. 9. concl. 103. 125. & 132. & alij add. text. videantur resistere, per S. pre-*  
*scriptione, tit. 9. d. lib. 2. F. Verba textus sunt clara, & habent evidentem*  
*rationem.*

**103.** Hoc loco non incommodè quæritur, Si dominus  
mortem obeat, antequam declaraverit animum suum de  
revocando illicite alienato feudo, An hæredi ejus facul-  
tas repetendi feudum permittatur? *Affirmat: arridet, per c. 1.*  
*lib. 2. F. t. 44. & 55. S. callidus.* Nam defunctus omne jus suum ad  
heredes transmittit, *l. hereditas, d. R. I. Rosenth. in synops: c. 9. conclus.*  
*127.*

**104.** Si vasallus feudum domino consentiente, dissen-  
tientibus verò agnatis, quorum interest, vendiderit: an  
jure *προτιμωσ* alienatio revocari possit? A. c. 1. S. porrò. 2. F. 9.  
& 1. S. sed etiam res. 2. F. 3. Rosenth: *in synops: c. 9. concl. 128. & seq.*

**105.** An revocationi locus sit etiamsi in isto loco aut  
provincia ubi feendum situm est, jus retractus in aliis rebus  
non sit in usu? A. Rosenth. c. 9. concl. 86. n. 3. & concl. 87. n. 2.

**106.** Si vasallus pro elocandis filiabus, vel maritandis  
fororibus, pecuniâ mutuò sumisset & feendum oppigno-  
rasset, non consentientibus agnatis, an hoc casu agnati  
tâm ad relutionem quam pretij refusionem sint obligati?  
A. ijs enim ex æquitate deficientibus bonis hereditariis, ex feu-  
do dos est constituenda, eleganter Hartm. Pistor. lib. 2. q. 37. & 38. n.  
41. Koppen: decis. 54. n. 84. & 87.

**107.** An necesse sit, ut revocare volens tempore alic-  
nationis factæ proximior sit: an verò satis si tempore re-  
vocationis nemo sit qui ipsum antecedat? Post: Aff. per text.  
6. 69

243

6. de alienat. feud. paterni, 2. F. 39. in verbo, quandoq; reversurum. Vale; 1. F. r.  
11. n. 100. Hartm. Pistor. lib. 2. p. 1. q. 6. n. 35 & 44. Zas. p. 9. n. 23.

108. Si alienationi agnati sint praesentes, & quod gerit  
tutur sciant, intelligent, nec contradicant aut protestentur:  
an pro tacite consentientibus habeantur? N. Nisi dolosè  
tacuerint, quod ex dubio non præsumitur. per Rosenth. in synops.  
c. 9. concl. 114.

109. Si agnatus à venditore requisitus, feudum emere  
recuset: an hoc ipso consensisse præsumatur? N. Rosenth. c.  
9. concl. 78. n. 1. Hartm. Pistor. lib. 2. q. 7. n. 6.

110. An actio quæ ex feudo oritur, Beneficiaria, ex morib;  
ex lege, condic<sup>t</sup>io ex lege, vel præscriptis verbis ap-  
pellanda? prius Aff. Cum enim contractus feudal<sup>s</sup> nominatus  
sit, propriam & nominatam actionem producat necesse est:  
not. Curt. p. 1 quest. 9. & 11. in fine. Iason. in prælud. foudal. n. 3. Zas. p. 1.  
n. 5. quamvis diverso respectu & hisce actionibns uti possit do-  
minus, not: Oldendorp. de act. benefic. post. n. 13. Rosenth. in synops. c. 12.  
Concl. 6. 7. 8. & seqq.

III. An etiam Actio ex l. Diffamari C. de ingen: & manumiss.  
tām aduersus dominum feudum amissum esse jactantem,  
quām aduersus alium feudi possessionem ad se spectare  
proclamantem, locum habeat? Quæritur: Et propter nimia  
hujus remedij generalitatē affirmamus, Myns. cent. 3. obs. 78.

112. An quandoq; vasallus vel dominus prætermisis  
actionibus vel aliis legitimis remediis ad arma convolare,  
& per modum deprædationis jus suum impunè promo-  
vere queant? Affirmare videtur Obert. in cap. de milite vasall: qui  
contumax, in f. 2. F. 22. Verū extra crebras præmissas admoni-  
tiones id simpliciter non permittitur, per d. t. 22. lib. 2. F. & ab-  
horrent ab hoc ausu temerario saluberrimæ nostri temporis  
Imperij Constitutiones, Von selbs Gerichten/Reichs Abschied de  
Anno 1495. Item der auffgerichte Landt: vnd Religions Fried.

113. Dominum judicem esse ratione feudi inter duos vasal-  
los controversiā ortā, extra omnem dubitationem est, per text.

Imperiale. S. præterea si inter. 2. F. 55. c. un. tit. 18 lib. 1. F. cum gloss. ibid. Rosenth. in synops. c. 12. concl. 31. Sed quæri solet. An absente vel defuncto domino vices ejus gerens sive administrator jurisdictionis freна gubernare possit? A. modò absolute & sine ullâ limitatione constitutus sit, Aurea Bulla Caroli IV. sub tit. de jure Comit. palat. Rhen. & Ducis Saxon.

114. An dominus minorenis judex esse possit? A. modo 18. compleuerit annum: facite gregiè Aurea Bulla Caroli IV. sub tit. de success. princip. Elector. De electorum isto anno imperio adeundo.

115. An fœmina feudum tenens judicis munere fungi possit? A. Ratione superioritatis, & si animi ingeniique dotes sexus imbecillitatem suppleant, per text. in cap. dilecti, extra, de arbitr. & gl. in l. fin. C. de recept. arbitr.

116. Si inter dominum & vasallum lis oriatur, per pares curiæ dirimatur, textus est d. c. Imperiale d. S. præterea, 2. F. 55. & c. unic. lib. 2. F. tit. 10. Quæritur, An etiam tunc quando dominus superiorem non recognoscit? A. c. 1. S. sententia, vers. & si qua controversia. de pace Constantiae: not. Rosenth. in synops. c. 12. concl. 16.

117. An & in feudo ligio pares curiæ judices esse queant? A. per Rosenth. d. c. 12. concl. 18. in fine.

118. Si vasallus auctor sit, nec velit quosdam ex paribus sed totam curiam judicare: dominus verò Reus contrarium malit: sc: non omnes pares judicare, Cujus voluntas attendenda? Domini. perc. un. 2. F. 16. ibi, quem aut quos voluerit & vasallus similiter hoc faciat secundum numerum à domino comprobatum, Rosen. c. 12. concl. 19.

119. An controversie feudales ex peculiaribus investiture pactis decidendæ sint? A. perc. 1. S. 3. 2. F. 2. c. 1. ubi Aluarot. n. 2 t. 18. d. lib. 2. F. facit l. contractus, de R. 1. Geyl. 2. de pace publ. c. 13. n. 4. & 5.

120. Procuratores dati ad civiles causas, annè speciali mandato opus habeant ad hoc, ut legitimi in causis feudalibus censeantur? Non placet negativa Rosenth. concl. 10. n. 76. propter diversa judiciorum genera, que inter negotia civilia, & feudalia disertè constituuntur. Quamvis stylus camerae aliud observet.

Si

121. Si dominus feudi ad instantiam vasalli pares curias  
nominare nolit, an causa ad Cameram ex capite denegata  
justiciæ devolvi possit? A. Rosenth. c. 12. q. 8 n. 26. & 27.

122. An processus judicialis juris feudalnis conformis sit  
juri civili? Disting. partim conformis est, partim peculia-  
ris. vide Rosenth. in synops. c. 12. concl. 45. usq; ad finem cap. Iacobin. ad verb.  
& dicti vasalli &c. n. 38.

123. Dominus vasallum in jus vocare potest, absq; speciali Ma-  
gistratus concessione, Vult. lib. 2. Juris. Rom. c. 28. An verò va-  
sallus quoq; sine speciali venia impetracione dominum  
possit in jus vocare, controversi juris est quæstio? Affirm.  
hodiè Comm: approbata est: quamvis interim non peccet, si  
modestiorem se gerat. arg. l. generaliter. ff. de injus. voc.

124. Si vasallus post trinam citationem factam non ve-  
nerit, An hoc casu statim feudum omnimodo ammittat? N.  
per text. c. 1. v. sed si, cum glos. opt. ibid. 2. F. 22. & l. 8. S. 3. C. de pre-  
script. 30. vel. 40. ann. Rosenth. c. 10. concl. 41.

125. An juramentum calumniæ in causis feudalibus (ut  
in civilibus, t. t. C. de juram. Calum.) indistinctè præstandum sit? N.  
c. unico, S. in quib. 2. F. 33. Rosenth. d. c. 12. concl. 49.

126. Quid sentiendum si altera pars velit præstare hoc  
jusjurandum Calumniæ, annè tūni cogetur altera? Non pu-  
lo, per c. in quib. tit. 33. lib. 2. F. & pere a qua tradit Herm. Vult. lib. 2. Feud.  
c. 3. n. 7. & Rosenth. de concl. 49. Iacobin. in verbo, & dicti vasalli, n. 25.

127. Si duæ investituræ sibi invicem proferantur con-  
trariæ: Vtrinâ erit standum? Priori. Hæc enim radix est,  
origo, & fundamentum primum, secundum quod omnia re-  
gulanda & terminanda sunt in controversijs feudalibus. S. fin.  
tit. 18. ubi Alvarot. n. 2. lib. 2. F. Rosenth. c. 6. conclus. 124.

128. Testes numero quinque Constitutio Henrici Imperat.  
lib. 2. F. t. 57. ad probationem exigit. Quæritur. An præcisè  
in omni probatione investituræ tot testes requirantur? N.  
per c. 1. S. si quis, vers. nisi perduos pares, i. F. 26. & lib. 2. F. t. 2. 7. S. 26.  
vers. fitres; Dicta Constitutio procedit quando agitur de proba.

C 3 tione

244

tione alicujus felonie vel ingratitudinis, Rosenth. d. c. 12. concl. 51.

129. An Instrumentum investiture, quod nonnulli brevetestatum nuncupant, carens subscriptione trium vel quatuor parium curie, in controversiis feudalibus vim ullam probandi habeat? N. per. c. 1. qui testes sunt neces. & tit. seq. 33. 6. 1. tit. 2. lib. 2. F. & tit. 4. lib. 1. F.

130. An editionem Instrumentorum, non in judicio tantum, sed etiam extra judicium vasallus domino petenti, & vice versa dominus vasallo facere teneatur? A. per l. Titius heres 48. ff. d. act. empti: prolixè Rosenth. c. 8. concl. 59.

131. Delato jurejurando à judice vasallo, jurare debet cum duodecim Sacramentalibus: cum sex parentibus: cæteros si vult habeat extraneos, per text. c. 1. de contro: inter. dom. & fidel. 1. F. 10. & 26. S. si quis, & lib. 2. F. t. 33. Quæritur. Si vasallus sanguine junctos non habeat, aut habere nequeat. Num & extranei admittendi? Omnidè, glos. ibidem ad verb. parentibus. & ad verb. si vult. d. t. 33. & arg. l. 7. ff. de testibus. Rosenth. in synopsi c. 12. conclus. 69.

132. Præsumptionibus in controversiis feudalibus locum tribuicertum est, per gloss. ad c. unic. verbo, pronunciatum, in pr. tit. 11. lib. 2. F. Sed Num in dubio feudum antiquū potius quam novum præsumi debeat? Prius affirm. per text. in d. c. un. S. si verò dominus, 2. F. 11. & c. unic. vers. item placet, lib. 2. F. t. 15. & t. 26. in pr.

133. An etiam ex libris domini / Auf desß Herren Eagen oder Schöß Büchern in dubio res feudalis præsumi possit? A. adhibita tamen animadversione duplii circa libros, qua de Rosenth. c. 12. conclus. 14. n. 49.

134. Appellatione, quæ gradatim fieri debet, suspendi interdum latam sententiam, Legistæ docent: idem & in feudis obtinet, Quæritur. Si dominus feudi fuerit Episcopus, Dominus verò superior secularis, annè nihilominus ad dominum illum superiorem possit fieri appellatio? Omnidè hoc rectè statuit Rosenth. c. ult. concl. ult. n. 4. & in synops. c. ult. concl. 73. fac. not. per Jacobin. dd. verb. & disti vasalli, num. 3. & 36.

135. Appellatione intermissâ sententia transit in rem judica-

judicatam, atq; executioni mandatur: Sed dubitatur, quis  
cam exequi debeat? Resp. Cum Rosenth. c. ult. quod eam quandoq; iu-  
dex ordinarius: quandoq; pares curiae: quandoq; dominus feudi exequi possint.  
Idem tradit in synops. d. c. ult. concl. penult.

245

136. Dubitatur. Utrum culpæ seu delicta per quæ feudū  
amittitur, certâ regulâ comprehendî possint? Negantibus ad-  
stipulamur, lib. 2. F. 24. Non tamen ideò concedimus in Judicis  
arbitrio libero causas ejusmodi positas esse: nec enim ex o-  
mni vasallus ingratitudine privatur feudo, s. predictis modis, ad fi-  
nem: d. t. 24. lib. 2. F. not. Laud. in S. ult. n. 7. tit. 55. lib. 2. F. Hanner.  
lib. 3. c. 10. Duar. c. 14. n. 24. tex. in cap. unic. t. 23. & in S. illud, d. tit. 24. lib.  
2. F. Rosenth. c. 10. concl. 5. & 7.

137. Maximi momenti quæstio est: Si vasallus dominum  
in adulterio uxoris suæ deprehensum occiderit, annè feu-  
do privandus? Negativam probare possumus, arg. l. 24. ff. ad l. Iul. de  
adult. cum similibus.

138. Non ineleganter quæritur, Si vasallus domini uxori,  
matri, sorori, &c. osculum dederit, an ob id feudum amittat?  
A. modò turpe & luxuriosum fuerit osculum, & consue-  
tudo Regionis non ferat per cap. Item si fidelis, ibi, turpiter luserit, cum  
gloss. bona, tit. 5. lib. 1. Feud. Rosenth. in synops. c. 10. concl. 54.

139. Utrum vasallus feudum amittat occidendo patrem  
suum spiritualem? N. Stricto jure feudistico.

140. Utrum ob nimiam sævitiam in subditos? A. lib. 2.  
F. 27. S. 7. ibi, beneficium inornatè tractaverit: primū tamen moneri de-  
bet talis vasallus ac solet, etiam per Cam. Imp. quæ ad preces  
subditorum monitorium in eum emittit, ut à sævitia desistat:  
text in tit. 22. lib. 2. F. Rosenth. in synopsi c. 10. conclus. 85.

141. Pulchra Quæstio est: Si duo fratres possident feendum  
commune, alter dominum in bello deserat, alter verò per-  
sistat. Num fratris persistentia levabit desertorem à feudi  
privatione? N. Exceptis quibusdam casibus, Rosenth. in synopsi Feud. c.  
10. concl. 9. & 20.

142. Utrum vasallus dominum suum cum proprio suo  
in-

*Ges*  
interitu juvare teneatur? N. Nam vasallus salutem suam domini postponere non debet. *gloss. i. in pr. tit. s. lib I. F. Clar. quest. 21.*  
*u. i. Ardizo c. 62. Curt. p. 4. n. 8. Rosenth. d. c. concl. 11.*

**143.** An vasallus fructus tam industriales, quam naturales non solum extantes, sed etiam perceptos & percipientes, feudo culpâ amissio restituere cogatur? A. arg. s. & s. beredit. *Inst. de off. jud. Rosenth. c. 10. concl. 42. n. 24. & 31.*

**144.** Utrum vasallus eos fructus quos ante amissum feudum percepit restituere cogatur? N. Sed pleno jure suis indistincte facit. per l. 48. ff. de acq. Rer. dom. Nisi fructus immaturos contra consuetudinem loci dolo & fraudulenter collegerit. *Rosenth. c. 10. concl. 42. n. 27. & 28.*

**145.** Coronidis loco illam Questionem adiicere placuit. Si inter dominum & vasallum convenerit, Nè vasallus ultra certum & designatum modum, vel ut nullas faciat impensas, ipseque postea fecerit, Utrum deduci facta feudi devolutione queant? N. Nisi majores impensas necessariò facere coactus fuerit, tamen enim absolutè in bona fide est, arg. l. si quis inficiatus ff. depositi, l. plane ff. de hered. petit. l. domum s. C. d. R. V. & l. hos qui, C. de Alluvion. *Rosenth. c. 10. concl. 43. n. 79. cum seqq.*

Moniti meliora sequemur.





Kon





# FarbKarte #13

B.I.G.

Black	White	3/Color	Red	Magenta	Cyan	Blue	Green	Yellow

